

189.

OPTIMA MEDICAMENTA BARBARIS
DEBERI GENTIBVS
OSTENDIT
SIMVLQVE
VIRO
EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO QVE
CHRISTOPHORO EVSEBIO
RASCHIGIO
DRESDENSI
SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES
NOMINE
SODALITII DISPVTATORII
SVR PRAESIDIO
VIRI EXCELLENTISSIMI EXPERIENTISSIMI
JOHANNES GODOEREDT
LEONARDUS
A. M. PHILOS. ET MED. DOCT. PATHOL. ET CHIRVRG. P.
F. O. SOC. OEC. LIPS. SODALIS
FLORENTIS
EX ANIMO GRATVLATVR
IOANNES TRAVGOTT NOTH
DRESDENSIS, REVERENDI MINISTERII CANDID.

VITEBERGAE DIE XXII. Oct. cIccLXXXVII.

EXCVBIT A. C. CHARISIVS.

Pharmacol.
gen.
135, 12.

Mat. m. 3

Actio. medicinae



10. 10. 0

REPARATA

O. R. I. V.

AVO. MISERIS DEDICATIS TUTA VIXI

Longe diuersi sunt, ac copiosi, quibus homines vexantur morbi; sed aequa diuersa quoque medicamenta iis medentia, vario modo in nostram delata cognitionem; quaedam, et si paucissima, solers ab analogia reperit argumentatio; quaedam ipsa bruta animantia prodiderunt; quaedam pia supersticio ex signis quibusdam externis, et insomniis eruit; quaedam casu innotuere; optima vero ab utriusque orbis gentibus literis haud imbutis, barbarisque accepimus, de quibus oblata iam scribendi occasione in praesenti verba facere liceat, quorum in recensione, et medicamentorum inventionis atque applicationis historia narranda ordinem, et morbis et viribus conuenientissimum, obseruabo alphabeticum. Occurrunt quidem, diu iam nota et a gentibus non plane incultis reperta, sed veniam me impetraturum spero, qni ea inferuerim, cum usus gentium barbararum, ad ulteriores eius virtutes inquirendas possit incitare. His paucis praemissis ad rem ipsam me conuento, primo loco

Aloen sistens, qua promotorii bonae spei incolae vitia corrigit ventriculi, calido eam iure deglutientes (*KOLBE Beschreibung des Vorgebürgs der guten Hoffnung. Th. II. Brief XXI. p. 574.*) cuius quoque regionis remotissima pars teste *THVNBERGIO* (*Dissert. de medicina African. Vpf. 1786.*) *Aloen* nutrit linguiformem optimum præbens succum, eundemque purissimum.

Inter optima medicamina locum meretur *Balsamum Peruuanum* Indis diu iam usitatum ad vulnera conglutinanda, quod Hispani noua detecta Hispania imitari coeperunt narrante *MONARDE* (*de medicamentis simplicibus ex Ind. occident. allatis p. 16.*)

Palmam

Palmam fere omnibus praeripit *Chinas cortex* siue *Peruvianum* arboris cinchonae officinalis, non confundendae cum Smilace *China* cuius radix adest in officinis. Duplici modo eius narratur inuentio: DE LA CONDAMINE (*Memoir. de l'Academ. des Sciences de Paris* 1738. p. 233.) leonibus febri laborantibus eius inuentionem deberi ab Americanis putari narrat, sed ipse merito de huius fabulae veritate dubitat. Alii vero, vti GEOFFROY (*Mat. med.* p. 78.) homines casu inuenisse contendit. Peruanae regionis, de qua nomen habet, incola febri correptus ac siti cruciatus, cui restinguendae cum alia non suppeterent fluida, aquam haurit piscinae ad tugurii fores existentis et *Cinchonis*, arboribus, consitae, (alii quasdam arbores innatasse dicunt) amarum sentit saporem, quem tamen sitis sensatio fortior suppressit. Febri liberatus laetabundus enarrat vicinis, qui febri laborantes ad eam piscinam, tanquam ad sacram aitcoram accurrit, haurientes aquam, inficii quae de re hanc acceperit virtutem. Denique illa exhausta, febre autem adhuc grislante, arbores ipsas decorticant, putantes, forsitan virtutis aquae inhaerentis arboribus quicquam inesse, hac spe amaritie confirmati, ei, quam aqua possidebat simili; et a cortice eosdem, quos ab aqua *habuerunt effectus*. Qua inuentione laetati hanc arborem sanctam veluti habentes, diu Europaeis eius celarunt virtutem, a primo scilicet Saec. XVI. anno, ad 38 usque Saec. XVII. solum sibi seruantibus eius usum, donec vxor COMITIS DEL CINCHON Praefecti regis per Peruvianum tractum fungentis vicibus, pertinacissima laborans febri frustraque omnibus adhibitis, huius corticis ope a praefecto loci (Corregidor) sibi laudati, in sanitatem restituebatur; ex quo tempore, vti opinatur MVRAY (*Appar. medicaminum. Vol. I.* p. 549.) Europaeis eius innotuit usus. Adhibent illum ad depellendas febres in puluere, decocto, et infuso, corticem contusum per diem aqua macerantes eamque colatram aegroto propinantes. Substituuntur quidem varia, et a nobis et ab Indis ipsis, v. c. cortex Cascarillae, de Pala, Achrae, Aesculi, Fraxini, Salicum, nec non gei urbani radix; sed ut nihil de minori eorum virtute dicam, ob nimiam, qua assumenda sunt copiam ventriculum grauant, neque tamen effectus tam certus est ac corticis nostri, qui semper optimum febris remedium est habendus.



Radix quoque *Colombo* huc referenda est, ab vrbe insulae Ceylon, *Columba*, dicta, vnde in omnes regiones distribuitur. Vsurpant eam incolae in cholera, aliisque ventriculi et intestinorum morbis, eam et appendentes et concisam rasamque deglutientes, vt habet PERCIVAL (*in Effais medical and experimental. Lond. 1772. Vol. II. p. 3.*)

Nec minus *Eryngii plani* flores Baulauscii (*Bawlowisk*) aqua coquuntur et infuso theiformi contra pleurit in adhibentur, obseruante GMELINO (*Reisen durch Russland Th. II. p. 387. 388.*)

Summam porro meretur laudem *Guaiacum lignum*, quod initio saec. XVI. Hispano nobiliori ab Indo seruo S. Dominici insulam inhabitante reuelatum est, qui decocto ab Indo propinato deglutito cruciatibus liberatus conualuit, illudque laudauit lignum. (MURRAY *I. c. Vol. III. p. 408. sq. et MONARDES I. c. p. 30.*) *Gummatis* vero huius ligni usus recentioribus quidem temporibus ad nostram peruenit cognitionem, sed in Antillis, aliisque Americae insulis diu iam nota fuit eius in arthrite virtus, et EMERIGON, in Insula Martinica Prorex, Europaeos eius docens usum, hac ipsa, quo viuimus, saeculi, posteriori parte ex incola Caribaeo didicit, idque expertus est efficacissimum in arthrite, qua ipse vexabatur nodosa. (*Journal de Medicine T. XLVII. p. 424.*) Ratio, qua Indis innotuerit non patet, ob longissimum temporis, quo ab illis adhibetur, elapsum spatium.

Nec minoris virtutis *Ialappa*, egregia illa taeniae vermiumque intestinalium debellatrix ex Xalappa, nouae Hispaniae vrbe ad nos 1670 delata, illis vero in terris diu iam cognita. Adhibent illam in puluere et masticando radicem, ad purgandam aluum (MURRAY *I. c. Vol. I. p. 503.*)

Ipecacuanha neutiquam praetereunda est silentio, cum emeticum nobis praebeat, longe praestantissimum. Docuerunt nos eius virtutes antidyfentericas Brasilienses, eam in omnis generis alui profluuiis in infuso ad 3jj, in puluere vero ad 3j adulto exhibentes, vti testis est PISO (*Ind. hist. natur. p. 231.*)

Contra dirissimam Deae Paphiae luem aliud adhuc praeter *Guaiacum*, supra laudatum, exstat medicamentum, cuius notitiam itidem praebuerunt homines Americae septentrionalis. Est illud *Lobelia*, LINNAEO a virtute *Siphilitica* dicta, quam illi ceu arcum adhibent specifcum.

sicum. Radices 4-6 vel recentes, vel quod melius est, siccas aqua coquunt, illudque decoctum mane, ea, quae ferri potest, copia, bibunt reliquias per diem exhaustentes. Aluum si nimium laxat, aqua diluunt. Partes insuper iue affectas externe hoc ablunt decocto, idque per 14 dies repetunt, quo tempore plerumque restituittur aeger. Decocto malum si resisteret pertinacius, radicem adiiciunt ranunculi abortiu, dosi tamen praefracta, ob acrimoniam enteritin facile producentem. Quod arcanum GUILIELMVS JOHNSONVS, Chiliarcha, magna redemptum pecuniae vi PETRO KALMIO patefecit, (*K. Vet. Acad. Handl. Vol. XI. p. 286.*) qui ad Europaeos eius transtulit usum.

Porro *Nerii antidysenterici* radicibus et corticibus tritis et aqua calida infusis epotisque Malabariam inhabitantes alui medentur fluxibus, nec non radicibus foliisque tritis, apostemata quibus imponunt, curant. (*Hort. Malabar. P. I. t. 49.*) Febres quoque intermittentes eo depellunt Indiae orientalis gentes teste LINDIO (*on Dif. in hot Climates p. 208.*)

Nicotiana quoque herba hic commemorari ineretur, saeculi XVI. medio ad Europaeos delata, mediante quidem IOANNE NICOTIO Gallorum regis in Lusitania legato. Adhibent illius fumum indigenae, quem sorbent, mastucant quoque ad morborum praeferuationem et ab infectione defensionem; nec inutilis est in curanda scabie viua et hominum et pecorum, adiunctis praesertim diaphoreticis, vti obseruauit LEPECHIN (*Reise durch versch. Prov. des Russ. Reichs Th. I. p. 2. 3.*) Persae ea vtuntur ad resoluendum viscidum pituitosum. (GMELIN *I. c. Th. III. p. 274.*) Imponunt, referente MONARDE (*I. c. p. 22.*) Indicae mulieres folia sub cineribus calefacta, ventri, ad cruditates ventriculi soluendas. Summum autem ex ea remedium clyisma constituit ex fumante ea paratum, ultimum in pluribus morbis refugium, ab Indis repertum, quorum quidam fumum fistula inspirando exceptum, alio alterius inflat, vti a pluribus legitimus relatum auctoribus.

Huc porro pertinet, quam diu cognitam habuere Americani ac Nigritae radix *Pareirae brauae*, quorum illi (PISO *I. c. p. 261.*) in infuso vel aquoso, vel vino, vel cereuisia parato pro potu ordinario



vsi; hi vero (BROWN hist. of Jamait. p. 357.) in decocto adhibuerunt
in renum, vretherum ac vesicae obstructionibus.

Quassia itidem in acceptis referimus barbaris gentibus, Surinamensibus scilicet. Ratio quidem inuentionis nobis non patet, sed ad nostram tamen cognitionem peruenit aethiops ope, cui *Quassia* aut *Quassy* nomen. Is, narrante LINNAEO (*Amoenit. Academ. P. VI.* p. 416.) seruus erat socrus DAHLBERGII et hocce lignum remedium contra febres endemicas easque malignas laudauit arcanum, donec DAHLBERGIVS amore et beneficiis eo illum adegit, qui aperiret arcanum, quo facto ramum arboris istius, eundemque florente LINNAEO transmisit, qui cum intelligeret ad nullum plantarum huc usque cognitum pertinere genus, nouum constituit, in serui illius memoriam *Quassia* dictum. Exhibuit ille aethiops *Quassiae* tinturam spiritu vini factam in febribus remittentibus et primarum viarum vitiis, ob vires, quas exercet, stomachicas.

Inter primaria medicamenta referendum est *Rheum* per totum fere vastissimum Russorum imperium perquam usitatum. Adhibent Sibirientes in variis morbis. Gurieui potissimum ex radicibus et turionibus iuscula parantur, scorbuto ibi endemio medentia. *Ex solis vero* radicibus praestantissimum coctione elicitur purgans, cuius rei auctor est PALLAS (*Reisen durch versch. Prov. des Russ. Reichs. Th. I. p. 387. 420. 426. Th. II. p. 330.*)

Rhus coriaria Persis inusu est contra Stomacacen, dysenteriam, aliaque mala, uti habet GMELIN (*I. c. Th. III. p. 288-290.*)

Locum obtinet etiam *Sassafras*, sub medium Saeculi XVI. ex Florida, Americae prouincia ad nos delatus, cuius adhibent terrae istius incolae folia recentia trita ad vulnera sananda; laudant decoctum in asthmate aliisque ex refrigerio pectoris vitiis, nephriti, amenorrhagia, aliis obstruktione, emesi, dyspepsia, aliisque (MONARDES *I. c. p. 46.*)

Nec tacenda est hoc in catalogo *Sassafrilla*, quae Nigritis in aurifera ora (*Goldküste*) Americanisque remedium est contra luem venereum, et carcinoma. Innotescere coepit circiter anno 1530. Adhibent illam indigenae hoc quidem modo: selibra concisa in mortario tunditur, in mucilaginem soluitur, colatur, exprimitur. Huius liquoris cyathus mane calide exhaeritur, aegrotus stragulis tegitur, et per bis horium

horium sudat, eodemque modo per triduum continuatur, quo in tempore non edere aut bibere quidquam licet aegroto praeter illam mucilaginem, vti refert MONARDES (*I. c. p. 38.*)

Venit quoque in censem *Senega* radix, antidotum contra mortis serpentis horribilis Crotalophori praesentissimum. Norunt hoc indigenae Pensiluaniae ac Virginiae. Ipse vidisse narrat TENNENT Scotus eius effectum in homine a serpente illo morso, qui, inualescentibus iam symptomatis, sanguine nimirum e pulmonibus manante, auxilio radicis masticatae, sanitati redditus est. Quam virtutem atque efficaciam ipse cum oculis animaduerteret, non acquieuit, nisi comperto illo specifico, cuius voti tandem multa expensa pecunia compos factus, hanc accipiebat radicem, quod ipse testatum fecit (*in physical disquisitions P. II.*) adhibetur quoque ab illis in pleuriti, peripneumonia, phreniti, hydrope, et marasmo Virginiae endemio, afferente LINNAEO (*Diss. de radice Senega, in Dissertationibus Selectis. Graecii 1764. 8. Tom. I. p. 203. sqq.*)

Serpentariae Virginianae masticatae succus eiusdem est virtutis, et deglutitur ab Americanis ad infringenda venena serpentum, folia quoque contusa, vulneribusque imposita illis conducunt, vti GEOFFROY tradit (*I. c. T. II. p. 248.*)

Magnas porro exserit vires *Simarubae* cortex, 1713 deinceps Parisios delatus, incolis vero diu cognitus. Aduehitur potissimum ex Cayenna, cuius regionis incolae (gens omnium stupidissima) lignum et radicem adhibent in decocto, vti LAVAL refert (*Voyage de la Louisiana p. 76*) et in infuso, vti FERMIN habet (*Beschreibung von Surinam. P. I. p. 212. sq.*) contra varias diarrhoeae species. Exhibuere quoque theriaca admixta eius extractum (LAVAL *I. c.*) et Syrupum (BADIER (*hist. de la Societe Roiale de Medicine. Vol. II. p. 299.*))

Agmen claudat *Spigelia anthelminta*, qua teste BROWN (*hist. of Jamaica. p. 156.*) vermes ab Indis, Iamaicensibus, Brasiliae, aliarumque Americae prouinciarum incolis depelluntur, et quo remedio ullum se vidisse efficacius negat; 1748 deinceps in Britannia diuulgavit. (*Gentleman's Magazin 1751. p. 544.*)

Plura quidem superercent hic recensenda, sed cum partim inventores habeant Chinenses Arabesque barbaris nullo modo accensendos,



dos, partim non satis constet, vnde eorum habeamus cognitionem, grādum hic figam, ad id potius properans, cuius caussa haec qualiacunque a me sunt prolatā, quae vt Lectores accipient beneuole, enixissime rogo.

Quid quaeſo gratius, quid acceptius potuiffet contingere, quam munus ordinis ſodalitii beneficio mihi iniunctum, TIBI, VIR EXPERTISSIME, AMICE ac CIVIS DULCISSIME, honores in arte ſalutari congratulandi ſummos; TIBI, quem vna eademque enutriuit vrbs, illa quidem regio ſplendore conſpicua Saxoniae metropolis; TIBI, qui iis uſus praceptoribus, quibus ego, ad altiora TE praeparasti ſtudia, et in hac Muſarum ſede ſemper mihi affuisti ſocius atque amicus; TIBI, qui a primo inde Tvi aduentus die amicitiam mecum coluisti, ne minima quidem interruptam discordia? — Igitur, AMICE inter omnes longe DILECTISSIME; i, et capeffe, quos iam diu promeruisti, honores; i, PATRIS DIGNISSIMI DIGNISSIME FILI, et fruere diligentiae, quam ſemper demonstrati indefeffam, fructibus; ſis PATRIS Tvi, VIRI PLVRIMVM REVERENDI et de ecclesia Dei immoratiter MERITI, gaudium; ſis Eius in canitie dulce ſolamen; TVAEQUE FAMILIAE longe SPLENDIDISSIMAE per longiſſimam annorum ſeriem decus atque honor. Benigniſſimum Numen ſaluum TE praefet atque incoluim; omnia a TE fuſcepta proſpero beet euentu; TEque ſemper ſiſtat felicem. Neque vero ad honores euectus et a nobis diiunctus amore et fauore complecti definas PRAEſIDEM noſtrum EXPERTISSIMVM, quem diu nobis, huic Academiac ac toti literarum reipublicae diuina ſuperſtitem ſeruet benignitas; nec obliuiscaris ſodalitii, membrorum, et amicitiae inter TE collegasque intercedentis; nec denique me, qui ſemper amicum Tvi me putaui ſincerrimum, longiſſimo forſan ſeiunctus ſpatio tradas obliuioni, ſed ſemper virenti teneas memoria. Iam vero i pede fauſlo, quo TE fortuna vocabit.

